

bricator falsa moneta gaudet immunitate Ecclesie? Et videtur primo gaudere: Hic enim publicus latro & pluraque robador conocido videtur, furatur enim insignia Regalia, vt monetam adulterinam conficiat: decipit praterca secum contrahentes auferendo ab eis res suas publicas, sine veris numis, sed tantum fictitiis dolo adhibito: Publicus t̄ autem latro immunitate Ecclesie non gaudet, vt in c. inter alia, & ibi omnes DD. de immunit. Eccles. l. nostra 3. in princ. in illis verbis: La Iglesia no defiende a robador conocido. l. 4. tit. 11. part. 1. ibi: Assi como los ladrones manifestos. & ibi Gregor. Lopez. Remigio de Goni. de immunit. Eccles. fall. 1. Anton. Gomez. 3. tom. var. c. 10. n. 2. in princ. D. Couar. l. 2. var. resol. c. 20. n. 13. circa fin. & communiter omnes, & inter alios modos, quibus quis publicus latro probatur, ille constituitur à Remigio, vbi supra, contra quem furum probatur per confessionem, vel probationem, vel facti euidenciam, vt in c. vestra, c. fin. de cohabit. cler. & mul. cap. cum olim. de verb. signif.

3 Secundo, t̄ quia obnoxij huius criminalis læsæ maiestatis crimen committunt grauissimum, & ideo, quicumque solidorum adulter potuerit reperiri, vel à quocunque fuerit publicatus, illico omni dilacione submota, flammatum exustionibus mancipari iubetur à Iuriconsulto in l. 2. C. de fals. monet. qui textus quotidie practicatur, secundum Anton. Gomez. in l. 83. Taur. num. 3. Quæ t̄ pœna cum publicatione omnium bonorum, de qua ibi: tantum habet locum in fabricante falso monetam Imperatoris secus in aliis, in quibus pœna vltimi supplicij simpliciter habet locum, de qua in l. 1. eodem tit. C. iuxta gloss communiter approbatam in d. l. 2. in ver. flammatum. in 3. solucione, ibi: Vel hæc lex. Hodie t̄ tamen indistincte fabricans falsam monetam Imperatoris, vel Regis, igne iubetur concremari, vt in l. 9. tit. 7. par. 7. vbi dicitur: Moneda es cosa con que mercane bien los homes en este mundo, è por ende no ban poderio de la mandar hazer algun home, sino Emperador, o Rey, o aquellos a quien ellos otorgaren poder que la fagan por su mandado. E por ende qualquiera otro que se trabaja de la fazer, haze muy gran falsedad, e gran atrevimiento en querer tomar el poderio que los Emperadores, e los Reyes tomaron para si señaladamente. E por que de tal falsedad, como esta viene gran dano a todo el pueblo, mandamos que qualquiera que fiziere falsa moneda de oro, o de plata, o de otro metal qualquier, que sea quemado por ello: dezmanera que muera, & ibi Gregor. Lopez. in gloss. quemado, hoc notat: & amittit etiam medietatem bonorum, vt in l. 5. tit. 17. lib. 8. noua collect. Reg. vbi dicitur: Qualquiera que fabricare falsa moneda, o la manda: o la acon seja fazer, por que es aloue, pierda la mitad de sus bienes para la nuestra Camara, refert Ant. de Padill. in l. transi. 6. e. re. n. 110. C. de transi. Cum igitur t̄ fabricans falsam monetam incurrat pœnam adeo grauissimam, nempe ignis: dicendum non est, vt huiusmodi delinquentem defendat Ecclesia, præcipue cum eius delictum sit in tam graue præiudicium ac dispendium Reipublicæ, vt inquit lex partita prædicta.

7 Tertio hæc eadem t̄ pars probatur, quia committens hoc crimen falsæ monetæ non solum committit alicui, vt in d. l. 5. tit. 17. lib. 8. noua collect. Reg. sed imo traycion contra la persona del Rey, vt in l. 1. tit. 2. part. 7. ibi: La castorena es, quando algun home haze falsa moneda, o falsa los sellos del Rey: e sobre todo dezimos que quando alguno de los veyras sobre dichos es fecho contra el Rey, o contra su

señorio, o contra pro conunal de la tierra, es propriamente llamada traycion. Sed fabricatio falsæ monetæ est contra Regem & Reipublicam, ergo est vera proditio. Proditor t̄ autem non gaudet immunitate Ecclesie, vt in c. 1. de homicidio cum relictis adductis supra lib. 1. præf. quæst. 9. 2. & per Rebuff. in 2. tomo. constit. Gallie in tract. de immunit. Eccles. art. 1. gl. 1. n. 23. in fin. Ergo nec fabricans falsam monetam.

Quarto & magis in terminis, quia fabricans falsam monetam, committit crimen læsæ maiestatis, vt prædiximus ex l. 2. C. de falsis monet. ibi, Cuius obnoxij crimen læsæ maiestatis committunt. Sed reus læsæ t̄ maiestatis non videtur gaudere immunitate Ecclesie, vt inquit Rebuff. vbi supra. Ergo nec fabricator falsæ monetæ.

Quibus non obstantibus, t̄ contrarium in terminis nostræ questionis censuimus in praxi, atque respondimus, imo quod fabricans falsam monetam, si ad Ecclesiam confugerit, ab ea inuitus non sit extrahendus, sed gaudere debeat immunitate ipsius. Quidam enim è Regno Portugaliæ fabricauit hic Ciuitatem. falsam monetam, quæ in sua domo eo absente reperta fuit: postea captus fuit, & confessus fuit ingenue delictum, & condemnatus in pœnam ignis: & cum ad supplicium duce-retur, tempore executionis sententiæ laqueus contritus est, ipseque delinquens cecidit viuis in terram, & crepitus è manibus familiæ, auxilio monachorum atque clericorum, qui eum sociati fuerant pro remedio sue salutis spiritualis, pro corporali propria ipse in Ecclesiam proximiorẽ se recepit, à qua violentè fuit abductus per potestatem sæcularem, non obstante pœna excommunicationis contra eum lata, si eum extraheret, quousque decideretur causa, an gaudere deberet immunitate Ecclesie, necne? Tandem sententia vltimi supplicij illico in eum executæ fait, nec non & ignis, quo corpus mortuum concrematur fuit, & in cineres conuersum. Episcopus huius ciuitatis officio suo pastoralis incumbens conuocauit in consilium Doctores sacre Theologie, nec non & iuris Pontificij præbendatos sue Ecclesie, & simul iuncti cum suo officiali & Vicario generali, quæstionem hanc in sua præsentia præuio studio discussurunt, & tandem vnoquoque eorum, qui mecum sex erant, suo loco votum ferente omnes vnanimiter, nemine neque discrepante (6 res mirabilis, prius enim nihil contuleramus inter nos, vsque in illam horam & punctum) resoluimus, hominem huiusmodi, etsi confessum crimen, iure non potuisse ab Ecclesia extrahi, quia gauderet immunitate ipsius: ac proinde quia restituit ad eam iam non poterat, cum esset in eum executio facta, iudicem extrahentem suamque familiam, vltra damni satisfactionem illati Ecclesie, aliqua graui publica pœnitentia plectendos esse, vt illis esset in punitionem, aliis vero exemplo, t̄ per textum expressum in c. si quis contumax 17. q. 4. ibi: Et ipse publica pœnitentia iusto iudicio Episcopi mul-tetur. Ex quo text. & ex c. minor, & c. quisquis, eadem causa & quæstione, deducitur, quod violator Ecclesie debet excommunicari & condemnari pecuniariter, & imponi sibi publica pœnitentia, nec debet restitui communioni, quousque restituit extractum, vt inquit Greg. Lopez. in l. 4. gl. fin. tit. 1. par. 1. & ante eum Ioannes de Biccis de immunit. Eccles. n. 65. vbi n. 66. refert Hostiensium in Summa, eodem tit. in §. qua pœna, tenentem, quod pœna violentis immunitatem sit arbitraria & quod cum sequitur Archi

Archidiaconus, & num. 77. magis in terminis eam probat, & inquit, esse applicandam loco, cui facta est violentia: sicque nostrum decretum ad effectum perducit cepit, quia iudices sæculares siue que officiales pronuntiauerunt atque declarati pro excommunicatione, ob inobedientiam & contrauentionem mandari Ecclesie, & citari ad punitionem pro sacrilegio, quousque ad petitionem ipsorum statim negotium fuit delatum per viam violentiæ ad Regiam Cancellariam Pintianam: moti fuimus sequentibus fundamentis.

12 Primo, t̄ quidem peremptorie, quia in hac materia immunitatis Ecclesiarum regula est verissima, fortissima & à nostris receptissima, quod quantumcunque quis grauissimum delictum commiserit regulariter pro eo ab Ecclesia extrahi inuitus non debet, sed imo eius immunitate gaude-re, nisi tantum in casibus à iure expressis, text. est in c. inter alia, de immunit. Eccles. probauimus latè lib. 1. præf. quæst. 9. 1. num. 7. & q. 2. n. 5. & hoc lib. 3. q. 1. n. 3. At quod fabricatio falsæ monetæ sit grauissimum crimen & contra Regem, Reipublicæque nimis præiudiciale, fauor; sed tamen non est de exceptis à iure Canonico, nec etiam à iure ciuili vel Regio, vt patet in d. c. inter alia, & in c. fin. eiusdem tit. & in nostra l. & in d. l. 4. tit. 11. part. 1. Ergo standum est regulæ: quia qui habet regulam pro se, fundatam habet suam intentionem in casibus non exceptis; t̄ iuxta gl. notabilem in cap. 1. de reg. iur. in 6. circa fin. & gl. in l. omnis definitio 203. ff. de reg. iur. quam sequitur Dec. in l. 1. n. 6. ff. eod. tit. de reg. iur. vbi eius additio allegat Alex. & Tiraq. idem tenentes: est similis gl. in rub. de reg. iur. in 6. Quam sententiam plures allegans testatur communem D. Couar. lib. 2. var. resol. c. 12. n. 4. gletiam in l. in his, que contra ff. de legib. & ibi notat Paul. Cast. num. 1. la. in l. lictera in princ. n. 3. & 4. ff. de leg. 1. Roland. à Vall. cons. 5. num. 18. lib. 1. vbi etiam ex Bald. in l. si tutor, C. de communi seru. manumiss. quod t̄ secundum regulam pronunciamur venit, nisi contra-dium probetur; & t̄ in terminis immunitatis Ecclesie idem cum aliis, quos citat, tenet Tibe. Dec. resol. 80. n. 16. & 17. lib. 3.

Secundo hæc opinio plurimum comprobatur ex responsioib. ad fundamenta contraria.

Non obstat primum, quia fabricator falsæ monetæ non est nec vere dici potest latro publicus, sed crimen grauissimum falsitatis admittit, vt expresse probat d. l. 9. tit. 7. par. 7. quæ supra citauimus. At falsarius non inuenitur iure priuatus immunitate Ecclesie: Ergo t̄ nec fabricator falsæ monetæ ea priuari debet.

Non obest etiam secundum, quia licet fabricans falsam monetam, grauissimum, vt prædiximus, crimen committit, non tamen reperitur in iure cautum, quod is non gaudeat immunitate Ecclesie; Ergo non debet ea priuari per supra dicta.

Tertium etiam nihil nocet, quia licet hoc crimen sit proditio, adhuc tamen pro eo, nisi committatur simul cum homicidio, non debet quis ab Ecclesia extrahi, vt in d. c. 1. de homicidio, nec contrarium alicubi reperitur expressum.

Quartum & vltimum, quod magis adstringebat, etiam nihil nocet, quia Rebuff. dum inquit, quod reus criminis læsæ maiestatis non gaudet immunitate Ecclesie, sicut nec hæreticus & blasphemus, illud non affirmat, sed loquitur per verbum videtur, nihilque concludens pro sua opinio-ne adducit. Et t̄ præterea contrarium in terminis læsæ maiestatis humane tenet expresse Agidius

Boss. in sua praxi crimin. tit. de captiv. n. 32. pag. 16. ex text. in d. c. inter alia, inducto vt supra, & quod DD. noluerunt extendere illos duos casus ad similes, nec maiores, vt ibi; & tandem inquit, quod ita illo die per senatum conclusum fuit, licet dictum fuisset, quod forte arduum nimis videretur hoc ius in practica, & credit quod non obseruaretur in practica, Iul. Clar. in præf. crim. §. fin. q. 30. vers. quaro nunquid in fin. Hoc tamen est absque vilo iuris fundamento, ideo tenenda est præfata sententia Bossij in crimine læsæ maiestatis humane, quandoquidem ea iure probatur, vt vidimus, & ideo merito per senatum fuit iuxta eam conclusum. Et t̄ in crimine falsæ monetæ in relata iam specie sic fuit iudicatum in Regali Cancellaria Pintiana, quia eius decreto nomine Regio fuit remissa causa ad officialem Ciuitatem, dum tamen de nouo audires iudices faculares, eorumque familiarum, prout postea audiuit: Quamuis hæreticus t̄ nec blasphemus non gaudeant immunitate Ecclesie, vt per Rebuff. vbi supra & melius per Couar. lib. 2. var. resol. cap. 20. num. 11. & Remig. de immunit. Eccles. fall. 18.

S V M M A R I V M.

- 1 Raptores virginum an gaudeant immunitate Ecclesiarum, & per totam quæstionem eligitur pars affirmatiua communis.
- 2 Homicida simplex de iure ciuili an debeat gaudere immunitate Ecclesie, & de intellectu text. in authent. de mandat. princ. §. nec autem.
- 3 Priuilegium datum ab Imperatore non subditio, non potest postea sine eius consensu reuocari.
- 4 In materia immunitatis Ecclesiastica ius canonicum seruandum est, etiam si ius ciuile ab eo discordet.
- 5 Cap. final. de immunit. Eccles. dum se fundat super statuta Canonum & Regum, tantum procedit quoad statuendam regulam generalem in fauorem immunitatis Ecclesiarum, duobus tantum casibus exceptis, nempe publico latrone & noturno depopulatore agerorum.
- 6 Similitudo ad hoc, vt sit bona, sufficit, quod existet in eo, ad quod sit comparatio, non enim necesse est, vt in tota ipsa re similitudo sit.
- 7 Refertur communis opinio Doctorum tenentium, raptores virginum gaudere immunitate Ecclesiarum, ipsaque defenditur ab impugnationibus Couar.
- 8 Vltima, §. 11. part. 1. intellectu.
- 9 Matthei 21. & Luc. 19. & Ioan. 2. Domus mea domus orationis, & c. intellectu.

Q V Æ S T I O V.

In eadem l. 3.

Raptores virginum an gaudeant immunitate Ecclesie?

R E S P O N S I O. quinto circa eandem l. an raptores virginum gaudeant immunitate Ecclesiarum? Et quidem ius ciuile expresse præcipit, eos ab Ecclesia extrahendos esse, vt in authent. de mandat. princ. §. sed neque, vers. Nec autem homicidii, neque adulterii, neque virginum raptoribus delinquentibus, & c. collat. 3. In idem adduci solet l. vnic. C. de rapto virgin. ibi: Aut fuga euadere poteris, vbi notant DD. quod committens enorme crimen, non est securus in

B aliquo

aliquo loco, sed potest ubique capi & puniri: hoc tamen expresse ibi non probatur: Quinimo allegant nonnulli text. pro communi sententia de iure Canonico (qui potius probat contrarium, vt infra dicemus) in c. inter alia, de immunit. Eccles. nisi cum hoc modo expendamus: Nempe, quod cum Papa ibi se fundauerit super statutis Canonum & Regum, vt patet in princ. text. ibi: *Iuxta sacrorum statuta Canonum & traditiones legum ciuiliu, ita duximus distinguendum*: non potest dici, quod voluerit legem corrigere, cum vna eademque lex Pontificia non debuit inducere contrarios effectus vt in cap. maiores, de baptis. Et ita ex supradictis hanc primam opinionem, tam iure ciuili quam Canonico tenent atque probant Petrus de Anchar. in d. c. inter alia. Hippolyt. de Matil. in d. l. unic. num. 109. C. de rapt. virg. & alij relati per Remig. de Goni. de immunit. Eccles. fallen. 28. in princip. existimantes in delictis enormibus & atrocibus delinquentes minime gaudere immunitate Ecclesie: quod si in Ecclesiis committantur predicta delicta, re- & procederet secundum Hostien. in d. c. fin. de immunit. Eccles. salus secun. Hec tamen sententia est iure ciuili probetur: iure tamen Canonico, cui omnino in hac materia est standum, non procedit, sed potius contrarium expresse deciditur, quo ius ciuile corrigitur & non est seruandum, nempe per text. expressum in c. de raptoribus 36. quesi. 1. vbi sic dicitur: *De raptoribus autem id constituendum esse censuimus, vt si ad Ecclesiam raptor cum rapta fugerit, & facinram ipsam violentiam perulisse constituerit, statim liberetur de potestate raptoris & parentibus reddatur, & raptor mortis vel penarum immunitate concessa, aut ad seruendum subiectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem.* Ex quo text. hanc sententiam probant nuncupatim glo. in d. cap. inter alia, verb. publicus laro, sed & idem probat expressus quam contrarium, d. cap. inter alia, ibi: *Si liber, quantumcumque graua maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad penam, & c.* Est igitur ibi textus expressus pro communi opinione Canonistarum, quam refert Iulius Clarus in pract. crimin. §. fin. quesi. 30. vers. quare nunquid. & nos quoque terulimus in libris superioribus, quae habet, quod omnes delinquentes, quantumcumque graua delicta perpetraverint, gaudent immunitate Ecclesiarum, praeter exceptos in d. cap. inter alia, & in cap. fin. eodem titul. quam etiam sequitur alios citans Decian. conf. 80. num. 24. lib. 3. loquens etiam in delicto appendate & per insidias commissio; sed raptor virginum, adulter, nec simplex homicida extra Ecclesiam vel cimiterium non sunt huiusmodij: Ergo gaudere debent immunitate Ecclesie, ex d. c. inter alia, praeterquam quod in raptoribus est text. expressus in indiuiduo in d. c. de raptoribus.

Neque obstat, quod de iure ciuili simplex homicida tutus esse non debet in Ecclesia, vt in auth. de mandat. Princip. §. nec autem, quia huic text. pluribus modis respondetur. Primo, quod debet intelligi in homicidis, qui ea crimina in Ecclesia ipsa vel prope eam animo statim ad eam confugiendi commiserunt, iuxta text. in cap. fin. de immunit. Eccles. & quae circa eius intellectum supra late differimus, hoc lib. q. 1. Ita illum text. intelligit Ioan. de Lignian. & Imol. in Clemen. 1. de penit. & remiss. vbi concludunt, quod inter ius Canoniceum & ius ciuile nulla est discordia in hoc. Et ita respondet etiam Hostien. in summa, tit. de immunit.

Eccles. Sin quo, vers. si vera maleficium, & hunc intellectum comprobat etiam Abb. Sicul. in d. c. inter alia, n. 8. dicens, quod iste intellectus videtur planus, quia in illo textu nulla mentio est facta de fugiente ad Ecclesiam, & sequitur etiam Alex. conf. 145. vbi in themates, col. 2. vers. 2. probatur. vol. 7. quos refert & sequitur Tiberius Decian. d. conf. 80. n. 26.

Secundo etiam respondetur, quod ille text. procedit, vt videntur eius verba innuere, quando nisi ab Ecclesia extraheretur, profusus remaneret impunitum homicidium: sed quando potest puniri vel pecuniariter condemnari, tali casu textus ille non loquitur. Ita intelligit illum text. Cardin. Florent. & Abb. d. n. 18. vers. potest intelligi, in d. cap. inter alia, Alex. & Decian. vbi supra.

Tertio respondetur, quod dato, sed non concessio, quod text. ille loqueretur in quolibet homicida simpliciter, adhuc lex illa non potuisset hoc sancire, quoniam ante eam Imperatores Romani praecessores conditoris illius legis concesserant immunitatem & securitatem in Ecclesiis, homicidis & quibuscumque delinquentibus, nullo excepto, vt habetur in l. 2. & c. vlt. & per totum, C. de huius, qui ad Eccles. confug. Ergo non potuit postea alius Imperator huiusmodi priuilegium iam concessum per praecessores suos Ecclesiis reuocare, quia priuilegium datum per Imperatorem non subdito, non potest postea sine eius consensu reuocari, vt tradunt Innoc. & omnes in c. noh. de iudic. & probatur in l. priuilegia, C. de sacrosanct. Eccles. & in cap. ad Apostolicam, de symon. & sequitur etiam Roman. in authentic. similit. C. ad leg. Falcid. in §. specialis contra. l. & Paul. de Cast. in l. si qui curialis, C. de episcopis & clericis, Atetin. & Ial. int. non amplius, §. 1. ff. de leg. 1. & Calcan. confil. 23. pro parte, columna 4. vers. scilicet. sic etiam videmus, quos refert & sequitur Decian. vbi supra, num. 27. qui hunc intellectum tertium in terminis cum Abb. in d. c. inter alia, n. 19. & Alex. vbi supra, ex hoc probat ad d. §. nec autem.

Quarto etiam eidem textui respondet Decian. vbi supra, num. 28. cum communi opinione & doctrina Doctorum ab eo ibi relatorum, quae habet, quod in hac materia immunitatis Ecclesiarum, etiam si ius ciuile discordaret in hoc à iure Canonico, ius Canonice seruandum est etiam in foro ciuili: Ergo etiam si Imperator in casu illius text. tollere potuisset priuilegium prius indulum per ius ciuile Ecclesiis, adhuc tamen ius Canonice praedictum tollere minime potuit, quo efficaciter cautum est, talem immunitatem Ecclesie seruandam, vt in c. solita, vbi omnes notant de maior. & obed. & in c. 1. & c. cum omnes, de const.

Quinto respondet Remigius, quod text. in d. §. nec autem, intelligitur in homicidio insidioso facto in cimiterio prope Ecclesiam ab intendente se per Ecclesiam liberari, alias non commissuro; & sic in continenti intrauit Ecclesiam, vt in d. c. fin. de immunit. Eccles. ita Remig. de Goni. vbi supra, per l. 4. titul. 11. part. 1. circa finem. Sed hic intellectus diuinate videtur, praeterquam quod occidens alterum per insidias, non gaudet immunitate Ecclesie, etiam si longe ab ea homicidium committat, iuxta text. & communem in cap. de homicid. licet contraria sit etiam communis, de quo late egimus supra, lib. 1. quesi. 2. num. 2. & 6. Non etiam obest prima ponderatio dict. cap. inter alia, supra pro prima parte facta, nempe quod Papa ibi se fundauerit super statutis Canonum & Regum: quia hoc verum est & expresse factum fuit tantum

tantum quoad faciendum & constituendum regulam affirmatiuum communem, modo relatum in fauorem immunitatis Ecclesiarum, duobus casibus exceptis, ibi tantummodo expressis, nempe in publico latrone & nocturno depopulatore agorum; & ergo in ceteris etiam grauissimis delictis & in eodem rationem habentibus standum est regulae ibi relatae affirmatiuae, tam iure Canonico quam ciuili; & sic expresse probatur ibi haec secunda sententia verissima. Similitudo tamen ad hoc vt sit bona, sufficit, quod exster in eo, ad quod fit comparatio, non enim necesse est, vt in tota ipsa re similitudo sit, secundum Abb. in cap. translat. num. 3. de const. Ial. in l. creditori. num. 8. ff. de oper. nou. nuntias. & in l. vlt. num. 1. C. de colat. Felin. in cap. capitulum sancta crucis, num. 4. de rescript. Decius conf. 29. n. 4. Ripa in l. naturaliter, §. nihil commune, num. 23. & in l. si aliquam rem, num. 42. ff. de acquirend. possession. sequitur alios allegans Bernard. Diaz. de Luceo in reg. 52. ampliat. 2. Euerard. in sua cent. legal. loco 10. Menochius de arbit. indic. lib. 2. centuria 1. casu 85. num. 6. Quibus tamen fit, ve hanc secundam partem principalem tanquam certam & verissimam cum glo. in d. cap. inter alia, sequantur & merito communiter DD. Estque communis eorum opinio secundum Henric. in cap. Ecclesie, col. 3. de immunit. Eccles. & secundum Ang. de Claus. in sum. verb. immunitas, n. 17. in fin. & Syluest. eodem verbo & f. 3. in 1. q. num. 2. & secundum Remig. de Goni. d. fal. 28. qui eam sequitur, idem fatetur D. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 10. num. 8. & inquit Aegidius Bossius in sua pract. crimin. tit. de cap. num. 21. quod ita seruatur à iudicibus Deum timentibus. Est etiam communis secundum Iul. Clarum alios allegantem d. §. fin. quesi. 30. in vers. quare nunquid, ibi: *Bene verum est, & c. & simpliciter Azeued. hic. num. 8. & ante hos modernos Ioan. de Biecis in tractat. de immunit. Eccles. num. 33. cum sequentibus. vol. 2. Inquit tamen Couar. vbi supra, quod libentissime à supradictis Doctoribus dissentit, videt etenim, hoc crimen raptus virginum esse grauissimum & Reipublicae admodum perniciosum, ac simillimum his, quae in d. cap. inter alia, excipiuntur. Deinde animaduertit, iura Pontificia post veterum patrum decreta non concedere indistincte Ecclesiis hanc immunitatem, imo eam denegare aliquot in criminibus, non alia ratione, quam quod ea grauissima sint & Reipublicae maxime incommoda: quae quidem ratio virginum raptui omnino conuenit: & ideo virginum raptos ab Ecclesia & templis extrahi posse arbitrat etiam iure Canonico cum Hippolyt. vbi supra id quod expressum est in l. vltima, tit. 11. part. 1. vbi dicitur: *Que los adulteradores, vlos que fueran a las virgines, han de ser sacados de las Iglesias.* Id vero, quod statum fuit in d. c. de raptoribus, inquit Couar. ad iura vetera, quae hanc immunitatem licentius largiebantur, pertinet. Hec tamen grauissimi viri sententia sacris Canonibus & communi opinio, nec non immunitati templorum est contraria omnino, ideo non tenenda: siquidem quantumcumque quis grauissimum crimen commiserit, cum tamen non sit de exceptis à iure Canonico, immunitate Ecclesie gaudere debet, vt probat manifeste d. cap. inter alia & supra diximus. Ideoque nihil ad rem, quod crimen raptus sit grauissimum & Reipubl. maxime incommodum, nec quod haec ratio virginum raptui conueniat; magna siquidem est altera, quae pro religione facit atque reuerentia, quae templis*

debetur. Decisio praeterea text. in d. cap. de raptoribus, expressa est, quae etiam antiqua sit, non tamen antiquata neque ab eodem iure Canonico correcta, imo confirmata regula illa generali, quam praediximus d. c. inter alia, cuius duo casus excepti minime hunc comprehendunt. Lex autem vltima tit. 11. part. 1. praeterquam, quod refert prius ius antiquum legum ciuiliu iam correctum, vt constat ex illis verbis: *E por esto mando Deracho de las leyes antiguas que los saquen dellas, scilicet, de las Iglesias, & sic nihil de nouo decidit, vt inquit ibi Greg. Lopez. glossa 1. dicens: Illa tamen lex abrogata est de iure Canonico, secundum gloss. Abb. & communem opinionem Doctorum in d. cap. inter alia, tanquam contraria immunitati Ecclesiarum & iuri Canonico cui potius in hac materia est standum, quam iuri ciuili; & ideo seruanda non erit in hoc, vt praediximus, & iterum lib. 1. quesi. 1. n. 8. & late per Couar. lib. 2. variat. resol. cap. 20. num. 3. Non enim Rex aut Imperator potest hanc Ecclesie immunitatem tollere, & aliquid inuitum extrahere ab Ecclesia, vt est textus in cap. minor. 17. q. 4. qui textus assumptus fuit ab epistola diui Augustini, quae posita est immediate post epistolam eiusdem 187. quod latius probat Decianus dicto confil. 80. num. 6. & 7. lib. 3. Non obstat tamen praeterea ratio dictae legis vltima, ibi: *No seria cosa razonable, que tales males factores como estos amparassa la Iglesia, que es casa de Dios, donde se deue la justicia guardar mas cumplidamente que en otro lugar. E por que seria contra lo que dixo nuestro señor Iesu Christo por ella, que la su casa era llamada casa de oracion; eno dene ser cueda de ladrones, Matib. 21. & Luca 19. & Ioan. 2. Si enim raptos virginum & similes tui essent in templis, certum est, quod templum Dei fieret spelunca latronum & domus negotiationis nefariae. Nam respondemus, Deum saluatorem nostrum prohibere negotiationes & delicta committi in Ecclesia, non tamen claudit gentium gremium peccatori & delinquenti, quin si ad eam confugiat, saluus sit, vt possit conuerti & viuere. Et ideo etiam iure Canonico cauetur, quod si quis in Ecclesia delinquat, eius immunitate non gaudeat, vt in cap. vltim. de immunitate Eccles. ex rationibus, de quibus in illo text. & diximus late supra hoc libro, q. 1. per totam. Vult ergo Deus, Ecclesiam suam esse domum orationis & sanctificationis, excluditque negotiationes & omnia delicta, quia semel Deo dicatum, non debet amplius ad vsus humanos conuerti, cap. semel, de regul. iur. in sexto. Sed non ideo excludet peccatores, vt eorum vicem & sanguinem teneatur, pro quibus ipse & sanguinem & vitam effudit: Quinimo hoc proprium & singulare est Ecclesie, vt nunquam claudat gremium confugiendi ad eam, neque permittat eius ministris, etiam iustitia suadente, sanguinem Christianorum effundere, vt habetur in Concilio Toletano, postea capit. His à quibus, 24. questione vltima, & in cap. Clericis, & in cap. Sententiam sanguinis, ne clericis vel monachis. Conducunt in proposito optima verba Chryostomi, homilia 19. tomo 2. quae refert & late in hoc expendit Decianus d. confil. 80. n. 13. & 14. vbi Chryostomus defendit Eutropium sanguinum tyrannum & depradatorem ac Christianorum persecutorem, qui ob manifestas eius rapinas ab Honorio & Arcadio Imperatoribus ad supplicium vltimum damnatus ad Ecclesiam confugerat, ne ab ipsa Ecclesia extraheretur, dicens: *Et propter hoc maxime tenendum Eutropium, quod scelerorum princeps fuit. In his enim oportet glorificari Deum***

QVÆSTIO VI.

In eandem l. 3.

Captus ob delictum, ductus per Ecclesiam vel cœmeterium ad carcerem vel ultimum supplicium, si reclamat pro immunitate Ecclesie, & nolit ab ea exire, an possit inuitus extrahi?

Deum qui permisit eum in id necessitatis adduci, ut per ipsum & virtus que inest Ecclesie, & misericordia no-

VERO sexto, tan captus ad iudicium secularis familia ob delictum, dum per Ecclesiam vel cœmeterium ducitur ita captus ad carcerem vel ultimum supplicium, si reclamat pro immunitate Ecclesie & nolit ab ea exire posse ne inuitus extrahi? Et in hoc verba est sententia Archidia. in c. sicut antiquitus, el. 1. n. 2. 17. q. 4. posse eum ab Ecclesia inuitum abduci quia non gaudet immunitate Ecclesie: non enim vere is à templo violenter euellitur: sed per id templum captus extra Ecclesiam ad carcerem vel ad supplicium ducitur nec liber templum ingressus est. Accedit, quod principium fuit licitum, quod attendendum est, vt in l. quod ait lex, ff. de adult. cum siml. & ideo merito opin. Archidia. prædictam sequuntur Oldrad. conf. 5. 1. num. 4. Palat. Rub. in repet. rub. de donat. int. vir. & vxor. S. 38. n. 4. el. 2. & Cosmas Guimi, in pragmatic. sanction. Gallican. in 2. tom. in tit. de interditiis indifferet. non ponend. in verb. inde fol. 2. 15. in paruis, col. 2. in med. ibi. Inde dicit Archidia. D. Couarru post Ioann. Igu. quem refert lib. 2. variat. resolut. cap. 20. n. 13. in princ. & Anton. Gom. in 3. tom. cap. 10. quando reus gaud. immunitate. Eccles. n. 2. vers. quarto limita. Hippolyt. de Matrl. in l. vnic. n. 115. C. de rapt. virg. & in præct. crim. §. vltimus, num. 4. Didac. Perez. in present. col. 67. Cæpol. in l. si quis sit fugitiuus, §. idem Celsus, el. 2. num. 15. ff. de adul. editi. Boll. in tit. de captur. num. 22. in fin. Azeued. in l. Regia 2. supra proxim. num. 11. Et hæc sententia verior mihi videtur & tenenda: tamen contrariam sententiam expresse videatur probare Bartol. Socin. in l. perique, q. 24. n. 67. ff. de in iu. voc. cum Ioanne de Monte ibi & Marian. Socin. genitoris suo in tractatu de citat. artic. 17. membr. 2. & Ioan. de Biccis de immunit. Eccles. n. 52. vol. 2. tract. diuers. Doct. & secundum hanc opinionem. se vidisse in facto iudicari affirmat Pictauis in condemnato ad mortem transiente per cœmeterium, qui petit immunitatem & nihilominus extractus fuit & punitus: sed prosequendo causam fuit dictum, quod deberet gaudere, Cassan. in consuetud. Burgund. tit. de iusticia & droitz, §. 5. n. 14. & 121. quem referunt Boët. decis. 110. num. 8. Remig. & Iul. Clar. statim citandi. Et hanc secundam opinionem communem esse testatur pleno ore Remig. de Goni. de immuni. Eccles. fall. 30. in fin. eam secutus, & Iul. Clar. in sua præct. crim. §. fin. q. 30. vers. scias autem, ibi: Fortius dico. Sed meo iudicio hæc opinio secunda nec vera est per supra dicta nec communis, cum longe plures sequantur priorem: Nec enim Remig. vbi supr. qui secundam communem affirmavit, recte considerat numerum auctorum tenentium eam, nec priorem, siquidem ex illismet, quos pro vtraque parte refert ipse Remig. constat, quod prædiximus; Bald. etenim & Lafin d. l. plerique, ab eo pro hæc secunda opinione citati, non loquuntur in specie ipsius, sed in fugiente à potestate vel eius familia libere in Ecclesia intrante: tunc enim merito vt immunitate Ecclesie gaudeat, vt dicemus, quod est diuersum à nostra questione. At Iul. Clarus non discutit de veritate harum

Et paulo post idem Chrysostomus inquit: Quid enim agendum est Christianis, auellendus ne quispiam ab Ecclesia, ad quam paulo post omnibus accedendum est, offerendaque Dominica oratio, quæ hoc potissimum orabimur, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non ergo patiendum, vt is, qui in Ecclesiam sperauit, frustra sperauerit. Hæc sunt verba Chrysostomi vere ex anteo ore prolata, atque in corde omnium iudicum figenda, vt meminerint se Christianos esse, & Ecclesie honorem & reuerentiam sibi antiquissimam omnium esse debere: quæ ideo hic retuli, quia mire conueniunt in proposito pro defensione nostræ communis sententiæ atque responsione ad d. l. Par. Et quamuis nonnulli casus excepti sint à iure Canonico, quibus delinquens non gaudet immunitate Ecclesiarum: id quidem iustus de causis ab Ecclesia declaratum est, ideo seruandum: in reliquis vero immunitas inuolata remanet.

Et ita merito dixit Bossius vbi supra, quod communis opinio cum d. raptorib. à iudicibus timentibus Deum seruatur: sic etiam Iul. Clar. vbi supr. dicit se vidisse in facti contingentia restitui Ecclesie quemdam condemnatum pro violentia illata euidam mulieri, 17. Maij, anni 1564.

SVMMARIVM.

- 1 Captus ad iudicium secularis familia ob delictum, dum per Ecclesiam vel cœmeterium ducitur ad carcerem vel ultimum supplicium, si reclamat pro immunitate Ecclesie, & nolit ab ea exire, an possit inuitus extrahi, & per totam quest.
2 Ea, que non principaliter, sed in transitu & incidenter sunt, non veniunt in consideratione.
3 Concordia assignatur inter duas opiniones contrarias in questione principali, de qua n. 1.
4 Captus à familia iudicis, si se exemit ab ea, & ita liber ab Ecclesia confugit, ab ea extrahi non potest.
5 Carceratus ad Ecclesiam fugiens, etiam carcere rupto, gaudere debet immunitate Ecclesie.
6 Fugiens ob aliquod crimen ad Ecclesiam, quem iudex vel eius familia aspectu & cursu persequitur, gaudet immunitate Ecclesie.
7 Idem est de fugiente de vno territorio ad aliud, capi enim non poterit à iudice primi territorij eum insequenti.
8 Secus, si iudex primi territorij semper eum captum habuit & violenter captus in aliud ingressus fuerit.

harum opinionum, nec alium citat, qui dicat hanc secundam communem, nisi Remigium vbi supr. Quinimo Boëtius d. decis. 110. num. 8. ab eis relatus potius videtur in hac nostra specie tenere priorem quam secundam. Tandem quicquid sit de numero auctorum priorem opinionem veriorum longe & communem existimo: Immunitas enim Ecclesiarum iis conceditur, qui libere ad eas confugiunt, sequi que eum finem, vt constat ex toto titulo, C. de his, qui ad Ecclesiam confug. & de immunitate Eccles. & ex dicto tit. 11. par. 1. cum similibus. At hic de quo agimus, liber non est, nec ipse se recipit, nec in eum finem in Ecclesiam intrat, vt defendatur, sed casu & per transfugum inuitus per eam ducitur vel ad carcerem vel ad supplicium. Ea autem, quæ non principaliter, sed in transitu & incidenter sunt, non veniunt in consideratione, vt in l. si quis neque causam, cum similibus, ff. si cert. petat. melior textus in proposito in l. si quis post hanc, C. de adific. priuat. ibi: Quamuis per muros vel etiam per mediam ciuitatem ea transire necesse sit, l. debitor, in fine, ff. de pignor. dum dicit: Eos dumtaxat, qui hoc animo à domino induciti essent. Dicit autem non potest, quod hæc duæ opiniones non sint contrariæ, cum vere in eodem casu contrarium iniret se habeant: possunt tamen concordari, seu potius vtraque saluari, vt per Azeued. in dict. l. 2. num. 11. nempe vt prior procedat, prout loquitur: quoties reus captus & apprehensus manibus familie intravit & pertransiit per Ecclesiam seu cœmeterium, ita quod nunquam ab eis euasit, nec libertatem recuperavit: tunc enim non gaudet immunitate Ecclesie per supra dicta. At vero communis asserta opinio & sic secunda, licet eodem casu loquatur & contrarium dicat, saluetur tamen & procedat solum, quoties licet ligatus & captus intravit, euasit tamen à manibus familie, ita quod liber remansit in Ecclesia vel cœmeterio, licet eum catenis vel vinculis: tunc enim huiusmodi delinquens gaudeat immunitate Ecclesie.
4 Quibus sit, vt non possit ab Ecclesia euelli eum qui dum captus esset à iudicis familia, ab ea seipsum exemit & ita liber ab Ecclesia fugerit, vt in specie asserit Ioannes Igneus in l. 1. columna 3. ff. ad Syllan. quem refert & sequitur D. Couarru. dicto num. 13. in vers. 17. vbi citat etiam idem Boëtium dicta decisione 110. columna penult. credo voluisse eum allegare num. 9. ibi enim inquit fuisse conclusum, carceratum vt ad Ecclesiam fugientem, etiam carcere rupto, gaudere debere immunitate Ecclesie: & increpat Couarru. Cassaneum, quatenus falso ex Archidia. vbi supra, deduxerit contrarium & asseuerauerit, ita apud Gallos iudicatum fuisse: Hæc enim species diuersa est à terminis nostræ questionis principalis, in qua Archidia. vt vidimus, aliud merito tenuit, quod nos quoque probauimus; & quod in carcerati fugientes ad Ecclesiam gaudeant ipsius immunitate, tenet etiam referens Boëtium, vbi supr. dict. n. 9. Iul. Clar. dict. q. 30. vers. pone familiam, ibi: quinimo, vbi dicit ita senatum iudicasse.
6 Eadem ratione, vt imo & fortiori, fugiens ob aliquod crimen ad Ecclesiam, quem iudex vel eius familia aspectu & cursu persequitur, gaudere debet immunitate Ecclesie, ab ea que euelli non poterit inuitus: nam etsi inuitus, vt sepe docuimus, spectandum sit, iuxta l. quod ait lex, §. vltim. ff. de adul. quo fundamentum contrarium

existimauit Hippolyt. in d. l. vnic. n. 111. C. de rapt. virgin. & in dict. §. vltimus, n. 3. vbi citat pract. Ferracienf. idem tenentem; qui etiam mouentur ex text. in authent. de mandat. Princip. §. sed neque, & ante eos idem tenuit Cyn. in authent. si quis ei. C. de adult. & Alexand. confil. 24. num. 26. lib. 2. eadem tamen ratione huiusmodi delinquens gaudere debet immunitate Ecclesie, cum eo tempore, quo à iudice vel eius familia incepti fugere, esset liber, liberque & non captus Ecclesiam est ingressus; At dict. §. sed neque. non obstat, iuxta late circa eius intellectum questione præced. dicta. Quo fit, vt opinio affirmatiua, de qua in principio huius illationis, aduersus Cyn. Alexand. & Hippolyt. sit verissima & tenenda in praxi, contrariæque iure defendi non valet. Et ita existimant Bald. circa finem, Roman. Alexand. & Iul. in dicta l. plerique, ff. de in iu. voc. & alij plures, quos referat & sequuntur Remig. fallen. 31. & Couarru. vbi supr. num. 12. vers. decimo quartum, nec non & Bossius dicens, ita se vidisse obseruari, in tit. de captura, num. 22. & 23. est verior & magis communis sententia, secundum Iulium Clarum, dicta quest. 30. vers. pone familiam, vbi inquit etiam, quod ita seruatur, & quod senatus ita iussit in quadam causa, quam ibi refert. Eandem etiam sententiam sequitur Azeued. in l. 2. supr. eodem tit. n. 12. & in present. n. 2. qui num. 3. inferet ex hoc cum alijs, quos refert, vt idem esse in fugiente de vno territorio ad aliud. Capi enim non poterit à iudice primi territorij cum insequente, nec ab alieno extrahi territorio. Quod vltra ipsum tenet etiam alios allegans Remigius dict. fallen. 31. Secus vt erit secundum illum, in dicta leg. præcedenti num. 12. si iudex in suo territorio captum delinquentem, violenter in aliud territorium ingredientem ab eo extraxerit nunquam dimissum, & in suum carcerem includerit: cum huiusmodi delinquens alienum territorium liber non fuerit ingressus, sed captus, & nunquam fuerit dimissus: quod verissimum puto eisdem rationibus, quibus idem resoluimus supra in sic capto, per Ecclesiam vel cœmeterium ducto, vt non gaudeat immunitate Ecclesie.

SVMMARIVM.

- 1 Assassinus ab omnibus dissidatis, si factio incurrit penam excommunicationis & depositionis ab officio & beneficio.
2 Assassinus qui sunt, & quando committatur crimen assassinij, & n. 4. & 5.
3 Dispositio text. in c. 1. de homicid. lib. 6. in quibus assassinis locum habeat.
5 L. 3. tit. 27. par. 7. de assassinis agens declaratur, & num. seqq.
8 Assassinus vt quis dicatur, requiritur, quod ab eo occisus sit Christianus.
9 In dubio occisus in territorio Christianorum, presumitur Christianus in crimine assassinij.
10 Hoc non procedit in his, qui circumcisi reperuntur, vt sunt Hebræi & alij infideles.
12 Lex municipalis terre Codagnano, districtus Brigie, circa panis assassinorum referatur.
13 Assassinus hodie frustatim sciuntur atque dilecerantur.
14 Assassinus dicitur committere crimen proditoriæ cum aleuosia.